



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 70. Hæretici, licet mortui, ad iudicium vocati, atque exhumati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. nes numerari præceperat, donec illis a-
A.C. 1556. lia ratione congrue provisum esset. Pa-
 riter Bonnero, & quibusdam aliis ne-
 gotium dabat, ut cuncta contra Religio-
 sos, & summum Pontificem regnante
 Henrico VIII. attentata ex publicis ta-
 bulis delerent, præcipue vero iidem om-
 nes calumniis, ac incertis testimoniis
 scatentes relationes eorum, qui ad lu-
 stranda Monasteria deputabantur, sup-
 primere jubebantur, prout etiam edicta,
 quibus Religiosi auctoritatem summi
 Pontificis ejurare jubebantur.

§. LXX.

*Hæretici, licet mortui, ad iudicium
 vocati, atque exhumati.*

Thuan. l. 17. Eodem anno Buceri, & Fagii, qui non
 modo perniciosam in Regno doctri-
 nam sparferant, sed etiam aliis a fide
 deficiendi exemplum dederant, corpora
 fuere exhumata: ut autem hac in re
 præscripta juris forma fervaretur, porre-
 cto libello, mortui primo, & altero edi-
 cto citantur, simulque producuntur con-
 tra illos semel, atque iterum testes, cum
 autem nemo compareret, qui eorum
 defensionem suscipere auderet, tandem
 tanquam contumaces damnati sunt, die-
 que dicta coram Accademiæ ordinibus,
 postquam Cestrensis Episcopus oratione
 habita iudicii severitatem excusabat, ac
 nullate-

nullatenus justum esse asserere permittere, ut imbecillium animi ob inexpiatum nefas diutius torqueantur, sententia pronuntiabatur, & mortuorum cadavera effodi, ac magistratui regio, quandoquidem sanguinis poenam infligere sacerdotibus non licebat, tradi jējungebantur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1556.

Ergo utriusque hujus hæretici corpora die decima sexta Februarii effodiuntur, & paratus ad id in foro palus in terram defigitur, cui eorum corpora suis feretris inclusa imponuntur, comportata magna ligni strue, qua exurentur: insuper tabulata eriguntur, & utraque ex parte fudes defixæ circumdantur longa catena ferrea, injiciunturque libri Protestantium undique conquiriti magno numero, qui flamma se diffundente una omnes concremati sunt.

Nec multo post Oxonii a Broco Clocestriensi Episcopo eadem ratione cum Catharina Petri Martyris Vermilii uxore actum est, cujus ante quadriennium itidem in ædibus Christi defunctæ corpus conditum fuerat. Hæc autem convicta, quod mariti doctrinam amplexa esset, damnatur, ejusque cadaver effossum cujusdam humeris impositum apud Marsallum illius templi Decanum in sterquilinum dejicitur. Verum post Mariæ mortem regnante Elisabetha quinto post anno

anno

Sæcul. XVI
A.C. 1556.

anno hæc ossa rursus terræ mandata, atque Cantabrigiensis academiæ ordinum decreto gradus, & honoris tituli Bucero, & Fagio adempti omnino restituti fuere, omnibus, quæ contra eos, eorumque doctrinam, ac memoriam acta erant, rescissis.

§. LXXI.

Franciæ Regis edictum contra Matrimonia clandestina.

Thu. l. 18. n. 7 Hoc anno Henricus II. Galliarum Rex primum in Regno suo edictum promulgari jussit, vi cujus Filiifamilias, nisi viginti quinque, vel triginta ætatis annos attigerint, absque suorum Patrum, & Matrum consensu matrimonia inire prohibebantur. „Hujus edicti tenor est „sequens: Pronutiavimus, statuimus, ac „decrevimus, prout, & nunc pronuntiamus, statuimus, & decernimus, in vim „legis, edicti, statuti, ac perpetui, & nunquam revocandi decreti, quod filiifamilias, si matrimonia clandestina contra beneplacitum, voluntatem, & consensum suorum Patrum, & Matrum contraxerint, vel deinceps contracturi sint, propter talem irreverentiam, vilipensionem, ac præfatorum Parentum contemptum, nec non ob legis, ac præcepti divini transgressionem, atque honestatis publicæ, quæ ab utilitate separari